...tophori: Quaestio logica te-
xtuam generis et differentiae universa-
lium complectens.

QVÆSTIO LOGICA,

Tesseram Generis & Differentiæ Vniuersalium Complectens,

Permissu

Magnifici, Perillustris, & Admodum Reuerendi Domini Domini

M. LAVRENTII KARYNSKI,

I. V. D. Eccl. Cathedr. & Coll: SS. Omnium Canonici, Crac. Studii Generalis

RECTORIS.

A

M. CHRISTOPHORO STELLANOWIC

Vladislauiano Rhetoricæ Professore.

Publicè

Ad Disputandum in Lectorio DD. Theologorum

Proposita.

Anno Domini, 1 6 5 3. Mense Apr: Die 5. Hora 12.

In Stemma Conuentus Wachocensis.



Mirum alitem spectas quid ? nil mirabile monstrat
    Quàm quòd pars aquilæ, parsq; leonis ei.
Altera monstrat iter Cæli & Cælestia regna
    Altera contra hostes fortia corda tenet.
Iam non sit mirus : nam quæ miranda recenset
    Cernis; suntq; viris pectora docta simul.
His sancti quondam Benedicti claruit Ordo:
    Credite at alma cohors hæc Wachocensis habet.

Joannes Miероß Eloquentiæ Auditor.

AMPLISSIMIS, VENERABILIBUS,
ET

Adm̄. RR. PP. Conuentus Wachocensis, S. & F.

BEne de aliquo mereri, siue humanitatis, siue officij gratiâ, non modò laude, sed sempiterna memoria dignum est Amp. & Adm. RR. PP. Etsi enim non incertum est, quosdam reperiri adeò ratione destitutos, vt subitò acceptæ obliuiscantur humanitatis; tamen impium, cui omnino alterius gratia ingrata sit, inueniri posse vix credibile est. Nam si grati animi significatio, quam referimus cuipiam acceptam, maxima laude decoratur; certè non est dubitandum, ingratam mentem, nonnisi reprehensione compensari: Quæ, cùm de Vestris in me propensionibus cogitarem, confestim subiit animum meum, qui Vestros singulares sibi proponens fauores, acceptos referre identidem gestiebat. Itaq; primam nactus occasionem, apertam animi & gratæ propensionis tesseram, priuatim à me tersam, publice verò expolitam, cum picturis, Vobis Adm. RR. PP. constitui offerendam. Enimuerò quid in tam exigua tesserula depingam? Non est equidem difficile quicquam depingere, cùm non desint Vestræ præclaræ, & quasi

quasi viuæ virtutum imagines. Si enim illas in hoc Religioso statu, ad Deum Immortalem, noctu diuq́ fusas Orationes commemoro. Primæ & pulcherrimæ illæ imagines sunt. Si humilitatis, obedientiæ, castitatis exercitia, quæ perfectissima mihi visa sunt, respicio. Et hæc imagines sunt. Si mirabilem concordiam, veluti suauem harmoniam, quam æquè inter priuatos atq́ vicinos conseruatis, intueor. Imagines sunt. Si deniq́ humanitatem Vestram erga hospites, quam & ego ignotus, non exiguo tempore sum expertus amplissimam & singularem, mihi ante oculos pono. Hæc tanta est claritate, vt omnium prorsus vicerit delineationes. Sed cùm depictæ imagines pulcherrimæ sint, Tua Admodum Reuerende Pater Prior Samuel Zięmbiński, quæ mihi clarissima extitit, meritò est mihi suspiciẽda. Qui me incognitũ & peregrinum, sub durissimum grassantis pestilentiæ tempus promptè suscepisti, susceptum omni humanitatis officio tractasti, tractatum erudito colloquio, & admirabili ingenij præstantiá recreasti, recreatum vsq́ hodie maximis beneficijs prosecutus es. Quare non immeritò hasce imagines, virtutibus quasi quibusdam picturis collucentes, meæ vmbratili velitationi Logicæ insero, & Vestro Ordini dedico; vt nimirum ab illis possit illustrari. Suscipite igitur PP. Adm. RR. hoc exiguum, sed clarum obseruantiæ argumentum, in quo non termini, sed principij rationem putetis esse constitutam.

Vestro Amplissimo Ord: addictissimus
M. Christophorus Stellánowic.

QVÆSTIO

V. Præter Genus Phyſicum, detur Genus Logicum, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in Quid, Hocq́; à Materia; Differentia verò, quâ res inter ſe ſpecificè diſtinguuntur, à Forma deſumatur nec ne?

CONCLVSIO I.

Præter Genus Phyſicum datur etiam Genus Logicum.

COROLLARIA.

I. Etſi Logica ſit miniſtra omnium ſcientiarum, eiuſq́ notiones ac modi ſciendi, ſuas rationes vbiq́ retineant: Priuatæ nihilominus ſcientiæ, pro ratione rerum, eaſdem intentiones Logicas, diuerſimodè rebus applicant.

II. Et verò licet poſſint eſſe aliqua eadem Genere Logico & Phyſico, hoc tamen perpetuum non eſt: Nam poſſunt eſſe aliqua eadem Genere Logico, non Phyſico.

III. Hinc Aristoteles docens Corruptibile & Incorruptibile differre plusquam Genere, non de Logico sed Physico locutus est.

IV. Atq; vt Genus Physicum datur ante omnem operationem intellectus; ita Logicum nonnisi per opus mentis nostræ; non Intellectus Increati, aut Creati Angelici.

V. Intentio Generis Logici respicit species differentes, quas continet potentiá, vnitatem habens ad vniuersalitatem requisitam á parte rei, non autem actu.

CONCLVSIO II.

Genus Logicum est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in Quid.

COROLLARIA.

I. Etsi prædicta definitio Generis non sit Essentialis sed Descriptiua, potest tamen etiam essentialis formari.

II. Prædicari actu de multis &c. non est proprium generi sed aptitudinaliter.

III. Prædicatio in quid vt determinabile, explicat modum & rationem formalem prædicationis Generis vt Genus est.

IV. In definitione Generis sumitur pro Genere natura, seu res substrata.

V. At definitum est ipsa notio secunda in concreto, connotans subiectum, tanquam id in quo exercetur.

CON-

CONCLVSIO III.

Genus vt totum potentiale desumitur à Materia.

COROLLARIA.

I. Ratio Generica non desumitur proximè à sola materia, quæ est pars Physica; sed ab eo quod est potentiale.

II. Materia non est ipsum Genus, sed radix illius.

III. Hoc Genus nequit saluari in vna Specie.

IV. Nec de Specie vnquam prædicatur vt pars.

V. Non solùm autem dictum potentiale respectu rationis communis contrahibilis per differentiam, quæ in illa non continetur actu sed potentiá, verùm etiam respectu compositionis Metaphysicæ.

CONCLVSIO IV.

Differentia quâ res specificè distinguuntur, desumitur ab actu & forma.

COROLLARIA.

I. Sicut Genus dicitur sumi à materia Analogicè; ita & differentia à forma.

II. In substantijs separatis ab eodem principio desumitur distinctio numerica & specifica.

III. Op-

III. *Oppositum erit principium distinctionis numericæ in materialibus, nimirum materia signata quantitate, cùm hæc sit distinctio materialis.*

IV. *At Accidentia cùm sint defectibilia & Entis Entia, vel ab effectis suis formalibus, vel à proprijs subiectis.*

V. *Facere differre, non est idem, quod diuersum esse.*

CRACOVIÆ.
In Officina Viduæ & Hered. Francisci Cæsarij S. R. M. Typogr.